

Die "WUNDERTÄTIGE MEDAILLE DER IMMAKULATA"

1) DIE SEGNUMG DER WUNDERTÄTIGEN MEDAILLE

RITUS BENEDICTIONIS ET IMPOSITIONIS SACRI NUMISMATIS IMMACULATAE MARIAE VIRGINIS

S. Rit. C. die 19. april. 1895 ex iussu Pp. Leonis XIII.



(Segnungsformel für eine oder mehrere Medaillen. Die Segnungsformel sieht vor, dass die Personen, denen eine Medaille übergeben wird, auch gegenwärtig sei; dies ist jedoch keine Bedingung. Es können deshalb mehrere Medaillen gesegnet und anschliessend abwesenden Personen überbracht werden. Siehe Fussnote zum Segen).

Sacerdos benedicturus sacrum **Numisma Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis**, superpelliceo et stola indutus, absolute incipit:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

R. Qui fecit coelum et terram.

V. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus qui per multiplices Immaculatae Mariae Virginis apparitiones in terris mirabilia jugiter pro animarum salute operari dignatus es: super hoc Numismatis signum, tuam bene+dictionem benignus infunde, ut pie hoc recolentes ac devote gestantes, et illius patrocinium sentiant et tuam misericordiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Numisma aspergit aqua benedicta, et ipsum postea imponens dicit:

(Si uni tantum imponatur:)

Accipe sanctum Numisma, gesta fideliter, et digna veneratione prosequere: ut piissima et immaculata caelorum Domina te protegat atque defendat; et, pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveris tibi misericorditer impetret, ut, vivens ac moriens in materno ejus amplexu feliciter requiescas. Amen.

(Si vero pluribus imponatur, dicit:)

Accipite sanctum Numisma, gestate fideliter, et digna veneratione prosequimini: ut piissima et immaculata coelorum Domina vos protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveritis vobis misericorditer impetret, ut, viventes ac morientes, in materno ejus amplexu feliciter requiescatis. Amen.

Inde prosequitur:

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem,

R. Sed libera nos a malo.

V. Regina sine labe originali concepta,

R. Ora pro nobis!

V. Domine, exaudi orationem meam,

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam, matrem tuam ab origine immaculatam, innumeris miraculis clarescere voluisti; concede ut, ejusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur aeterna. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Conceditur ut, quotiescumque sacrum Numisma multis fidelibus simul petentibus imponendum est, non sacerdos illud imponat unicuique, sed fideles ipsi sibi imponant, dicente sacerdote formulam praescriptam plurlai numero. S. Rit. Cong. 20. decembris 1939).